...imundus

Nicol. Cherubin armatus.

CHERVBIN ARMATVS

Contra Fidei Catholicæ aduerſarios,

IN GRATVLATIONEM

Admodum Reuerendo Domino,

D. M. SIGISMVNDO GREGEROWIC,

S. Th. Profeſ: Can: S. Floriani Scholaſtico Moſchorouienſi, Prouiſori Contubernij Ziziniani;

DVM

In Alma Academia Cracouienſi

Quæſtionem de Sacramentis

in Communi, ad diſputandum proponeret:

Præſidente

Illuſtri & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. MATTHIA BLOSIO BRVZINSKI,

S. Th. Doctore & Profeſ: Facultatis Theologicæ & S. Floriani Decano, Viro doctiſsimo,

EXPRESSVS,

A

M. NICOLAO SVLIKOWSKI, Coll: Minore Ordin: Eloq. Prof: & in perpetuæ obſeruantiæ monimentum.

C. & D.

CRAC. In Offic: Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr. A. 1642.

Insignia Academiæ Cracouiensis.



Ante fores rutilant Craci duo Sceptra Lycæi:
Ad portam gladium, cur paradisus habet?
Dogma colunt Christi, cæli dominantur in arce;
Pelluntur contra qui temerare volunt.

Strophe I.

INfracta sponsæ vis potentis est Dei,
Prouinciarum Principis,
Hostibus è Stygijs prædam referentis opimam,
Hæredis in Cælestibus Monarchijs,
Durat in æuum.
Quot Monstra reptârunt, Stygis de flumine
Armata duris dentibus,
Et lemurum innumeris cateruis:
Pectore quæ vafras technas, flammamq́ feralem,
Agglomerabant,
Vt dignitatem, scelere, vel turpi lue;
Fideiq́ iubar,
Perpetuo radians nitore,
Inficerent tenebris Auerni.
Ausibus immensis studuerunt orbe fugare.

Antistrophe I.

PAradisus est, amæna Christi Ecclesia,
Mortalium quæ fert genus.
Schismaticas hydras Arij, sæuosq́ Cerastas,

Excludit à lætis amænitatibus,
Vt fera monstra.
Obseruat armatus Cherubin limina,
Ecclesiæ fert filios,
Viuere non patitur Gygantes,
Qui tellure sati, superos Mauorte lacessunt,
Astra petendo:
Non toxico tantùm, sed artibus malis.
Fugitantq; retrò,
Impetibus gladij fugati;
Cherubiniq; sparis perempti:
Scilicet arte sacrâ, fædum truduntur ad Orcum.

Epodos I.

ARmatus Cherubin, Dei
Vineæ, Christus croceo cruore
Quam purpurauit, multiplici bono,
Gratis racemis, floreq; amabili
Ritè beauit.
Militat, istehîc vrsus productus in vmbris
Inferre ne possit pedem:
Sunt Cherubini,
Doctores Academiæ.
Tuentur illi Ecclesiæ primos gradus-

Ne inficiant flores vitiati fauce Dracones,
Nec euomant turpes faces,
Aut Gorgonis spirent malum,
Ense suo vigiles retundunt.

Strophe II.

SAlomon, Palestinæ potens Princeps plagæ,
Sapientiâ ditissimus:
Gemmis, quo mage conspicuus nullusq; Metallo
Tyrijsq; vestibus, cateruis militum,
Extitit orbe:
Cubile sepserat rosis, & lilijs,
Phalangibusq; ferreis,
Ære graui, rigidis & hastis.
Magnificum faciant quid tenûia facta nitorem?
Quid rosa præstet?
Cur arma commiscentur his odoribus?
Genijq; torus,
Quid strepituq; tonat Gradiui?
Quid rigidus furor insolescit?
Exulat hic motus belli, pax blanda triumphat.

Antistrophe II.

ECclesia est Salomonis, hic torus Dei
Florum refertus copiâ.
Inuicto vt maneat cataphracto milite cincta
Vallata præpotente Principum manu,
Cædat vt hostes.
Sapientiæ gratum viri dant balsamum,
Sacrata quos fouit Themis,
Pneumaticum docuitq; dogma,
Inde Deo consurgit honos, Diuumq; perennis,
Gloria crescit.
Pectoribus, insigunt Dei telum, hostium,
Iaciuntq; minas,
Ne temerare queant decorem,
Christiadum renouare cultum,
Hæreticorum ausus cupiunt frænare nefandos.

Epodos II.

SÆui perniciem Duces,
Cordibus cudant reparare Matri;
Producit alto quæ sobolem Deo,
Ipsi Tyranni tela acuant sua,
Figere pectus.
Vna tamen vasto Theologia regnet in orbe

Clauum

Clauum regat fideliter,
Obuiet hosti,
Orbi Christiadum imperet:
Prius coluri syderis firmi ruent,
Dogma sacrum validas quàm vires vertet in auras:
Hic Cherubin fortissimus,
Ecclesiæ custos vigil,
Cædere, viuificare nouit.

Strophe III.

MOnarcha Cæli, te Magister optime,
Ad munus istud extulit,
Diuinum cultum, calamis, & voce tonares,
Paradisum vt Angelus solet pugnacior,
Ense tueri.
Ætatis huc cursum regendo labilem,
Deo vt placeres Maximo,
A tenero id meditatus vngue.
Exemplo, cultu, fueras studiosus amator
Relligionis.
Defensor æqui, semper ac auctor boni,
Animo grauiq;

Inuida ſors tibi ſeu ſecunda,
Quæ tulit impauidus ferebas,
Greſsibus Herculeis properans virtutis ad aras.

Antiſt. III.

SAlomonis eſt Naui, iuuenta par tua,
Ad inſulam fluenti Ophir
Quæ niueas gemmas, aduexit Regis ad vſum:
Agit antis eſt perpeſſa turbines Noti,
Mille perîcla.
Scyllas biformes, virginum maris melos,
Transgreſſa curſu præpeti,
Tuta feros ſuperauit æſtus,
Mercibus & Patriam magnis onerata beauit,
Regis & aulam.
Sic tua iuuenta, Doctor ô Doctiſsime,
Scopulos pelagi,
Pigritiam ſuperauit acrem,
Mollitiem, placidam voluptam,
Ingenijs hoſtem, luxum iugulauit inertem.

Epodos III.

Auro

Auro ſic Academia
Splendet, aduecto regione ab Ophir,
Rubet ſuperbis haudq́ꝫ corallÿs,
Tui ſed albet, dotibus ingenÿ;
Luce laboris.
Mox vbi vernantes tempus conſumpſerat annos,
Donis Thaliæ & auxerat:
Amplior artis
Suggeſtus tibi cum datus,
Quàm ſplendor affulſit micans! quæ dignitas!
Plurimus auditor docto pendebat ab ore.
Virtutis & pulchrum decus,
Modeſtiæ pulchras opes,
Corde tuo referebat æquo.

Strophe IV.

THeatra templorum vident, ciues habent
Promotionis commoda,
Aulæ Pontificum, Magni quoq́ꝫ Curia Regis
Habet viros, quos te Decano laureis
Cinxit Apollo.
Et clauſtra fructus ſentiunt induſtriæ
Tuæ: vigent doctis Sophis,

Dogmata qui reſerant Hebræa,
Hæreticas ſectas confundunt voce Latinâ
Schiſmaticasq;.
Iuuenta ſic acta peperit magnum decus,
Patriæq; Deo,
Et ſtudium decorauit almum,
In Lechiæ celebri Lyceo.
Delicio Regum gemmæ ſeptemq; triones.

Antiſt IV.

HÆc leuia ſunt, ſed plura magni ponderis:
Laudumq; geſta habentia
Tu pietatis amanſq; Dei promotor honoris
Communitatis auctor, & ſuaſor boni
Dexter & acer.
Iozephus in regno cauebat Memnonis,
Ne damna panis grandia,
Gens famis & rigidæ ſubiret.
Sufficiens ſed ſæpe foret cui copia rerum;
Sedulitate
Tua, Magiſtros cenſibus ſic tu datis
Tenues recreas
Attalicâ potiore dote,

Se cu-

Se cumulare putant, laborum
Qui imparium pretio Crœsi gazis & opimis.

Epodos IV.

LAus sit Munificentiæ,
Turba Musarum hanc studiosa cantet,
Quam promouebas dote peculij,
Ad laureatos sæpe Academiæ,
Sponte Curules.
Paupertate graui pressos, proprio ære leuabas,
Nudos tegebas vestibus,
Mente cadenti
Sanum consilium dabas,
Seruire patriæ queat quî commode.
Hunc suasu, precibus, stimulâsti ad honesta gerenda;
Si duceret pigros dies,
Fines decori excederet,
Verberibusq; minis premebas.

Strophe V.

AMplissimum fertur tibi iam præmium,
Lycæa quod colunt magis,

Diuitijs cunctis, rutili pretioq; Pyropi,
Qui Apollinis morantur in castris viri,
Docte Magister.
Beata lux, omni canenda sæculo,
Solesq; felices, caput
Dum aspicient redimire Mitrâ.
Te toga Doctorum, meriti te copia, tanto
Cinget honore.
Exemplar & vitæ, labor durissimus,
Pietatis amor,
His titulis decorabit almis,
Atq; priore throno locabit.
In dubijs sacris cernens te soluere lites.

Antistrophe V.

VEspasiani diruta est quondam in agris,
Arbor repentè commoda,
Lætior & ramis fructu reuirescere cæpit:
Mox omnium conuertit in se lumina.
Luce sequenti.
Promissa vatum, dignitas, sententijs,
Vespasiano principi:
Imperij & Latij curules,

Nuper-

Nuper VADOVIVS, *viridi Iagelonis in agro*
Procidit arbor;
Quæ flore, fructu Lechicam fouit Scholam,
Patriamq́ simul.
Surculus ecce nouus Gregero--
wic subitò iuuenescit, orbi
Sarmatico, spondet fructus, floresq́ suaues.

Epodos V.

H*Vnc vulgare nihil, sciet*
Posterorum ætas, agitâsse mente,
Sed digna pulchræ laudis adoreæ,
Honore Matris magno Academiæ,
Cuncta patrâsse.
Ergo Dei laudem amplifices, Professor amande,
Accinctus ense Cherubin,
Ceu Cherubinus,
Pellas Hæreseas striges,
En BLOSIVS *tutor, duelli Dux tui,*
Qui te vel Latiâ defendet, voce Pelasgâ
Tuum coronabit caput:
Te robur artis excitat,
Ingenÿq́ vigor vegeti,

◆§)✠(§◆

IN
Encomium Virtutis.

Illustris Admodum Reuerendi Domini,

D. MATTHIÆ BLOSII BRVZINSKI, S. Th. Doctoris & Profes: in Alma Academiâ Crac. Facultatis Theol: & S. Floriani Decani, Cancellarij Posna: Patroni sui Colendissimi, autor apposuit.

LAudent Athenæ Gregorium suum,
Damnabo gentem non ego Romulam,
Si iactet Augustini in ore
Angeliciq; Thomæ lepores.
Ecclesiæ quod præstiterint decus,
Palmas triumphi, Cælituum poli
Sparsêre, mansuris Camænis,
Per teretis vaga regna mundi.
Est tanta virtus Sarmatiæ solo,
Pellit probrosos Hæresis impetus,
Dignatur aris quæ Sacerdotum
Indigetes celebratq; Diuos.

Virtut

Virtute tali BLOSIVS *entheat*,
Caluinus horret, cum grege Zuinglÿ;
Quem fulminantem si viderent,
Tænarios fluuios subirent.
Quorsum superbis, Roma, tuis viris
Sophosq; iactas Græcia plurimos,
In arte Doctor est, Polono
BLOSIVS *his similis Lycæo.*

8

D. O. M.